

III.

(a pag. 176).

*Pactum int. Loth. imperatorem et Dñm Petrum ducem Venec.
pro firma pace habenda inter aliquas civitates et loca duca-
tui venec. ppinq. (1).*

In nomine Domini (nr̄i) Jesu Christi Dei eterni. Anno In-
carnationis Domimini octogentesimo quatragesimo.

Lotharius Divina ordinante providentia Imperator Augu-
stus, anno imperii ejus vigesimosexto, octavo kl. marci, Papiae Ci-
vitalis Palatio, hoc pactum suggestente ac supplicante Pro glorio-
sissimo Duce Veneticorum, inter Veneticos et vicinos eorum con-
stituit, ac describere jussit, ut ex utraque parte de observandis
his constitutionibus sacramenta dentur. Et postea per observa-
tionem harum constitutionum pax firma inter illos perseveret.
Vicini vero Veneticorum sunt ad quos hujus pacti ratio perti-
net: Histrienses, Forojulienses, Cenenses, Tarvisanenses, Vi-
centenses, Montessilicense, Gavalenses, Comaclenses, Raven-
nenses, Cesentenses, Ariminenses, Pisauenses, Fanenses, Se-
nogalienses, Anchonenses, Humanenses, Firmenses, et Puienses
(Pisenses) quibus locis vel presenti tempore constituti sunt, vel
in futuro constituti fuerint, maiores, atque minores, quos consti-
tuit ipse Imperator et cum Petro Duce Veneticorum, et cum ipso
populo Veneticorum, idem cum habitatoribus Rivoalto, Castro
Helibolis, Amorianas, Madamauco, Albiola, Cluia, Brundulo, Su-
sciones (Flossoni), Laurentum, Torcello, Amianas, Buriano, Ci-
vitas nova, Fines, Equilio, Caprulas, Gruadus, Caputargeles, et
cum omnibus his locis habitantibus, tam Episcopis, ac Sacerdo-
tibus, et Primatibus seu reliquo populo, et cunctae generalitati
ad Ducatum Venetie pertinentibus, hoc pactum observare debe-
rent per annos constitutos numerum quinque, ut nulla malitia,
nec lesio inter partes perveniat. Et si aliquod malum inter par-
tes commissum fuerit, secundum pacti hujus seriem emendare,
et justitiam conservare ad invicem repromittunt, et si excursus

(1) Al margine nel Trevisaneo: Ex T. 140, Dand, T. 17.